



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

24. Dies Januarii. Nihil est in nos crudelius, nobis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

24. DIES JANUARII.

Nihil est in nos crudelius, nobis.

Salvia l. de Gub. 8.

Peccati I.
gravitas.

Quam sit hæc tessera vera, li-
quebit, si quanta sit crudeli-
tas peccati in nos, dum com-
mittitur à nobis, intelligamus. Rudia quædam
proposui peccati, ut illud horreamus, lineamenta,
necdum submoxeo manum à tabula, ut tu remo-
veas tota damna ab anima. Horreret ipse horror, si
perciperet omnia, quæ peccatum complectitus
horribilia. Peccati malitiam, enormitatem, fædita-
tem nemo assequitur, nisi cui fidei divinæ radius
affulserit, & quem gratia singularis extulerit in De-
um. Nulla peccati justa mensura est, nisi Deus: Hu-
jus ex dignitate, illius pensatur indignitas. Tam
turpe est peccatum, quam pulcher est Deus. Ut
Deus continet omne bonum, sic peccatum continet
omne malum eminenter. Offensa est, injuria est,
contemptus est summi Boni, imò voluntas perdendi
Deum, si perdi posset, eumque perimendi quidam
conatus. Nunquam satis intelligitur peccatum, nisi
satis intelligatur Deus. Ejus tamen gravitas pon-
derabitur à nobis, expunctionis, qua castigatum ali-
quando fuit severitate, ex remedii quo sanatum ma-
gnitudine: ex damnorum, quæ hominum, Angeloi-
rumque generi illata sunt æstimatione: ex pœna-
rum quas meretur æternitate, ex ipsa illius horribili
deformitate.

II. Quid.

II. Quidquid mali concipis , vel potes concipere in hoc , & altero sæculo , vel peccatum est , vel pœna , vel effectus peccati . Terrentne dæmones ? peccatum ex Angelis cacodæmones fecit . Terrent mors ? Peccatum genus humanum infecit , imò interfecit : inde mors , inde judicium : inde infernalia vita futura terribilissima : unico verbo , nullum est malum , quod vel ab homine timeri , vel a Angelo conspicari , vel à Deo inferri potest , quod non invexit peccatum . Nulla Dei ira , nullus Dei furor , nullum Dei odium existeret , si peccatum nullum esset . Age nunc ; putasne injustum Deum , qui meta excedat æquitatis ? putasne insipientem , qui quo peccato debetur , ignoret ? Si infinitè justum , & sapientem credis , agnosce peccati gravitatem , & omnibus odiis detestandam turbitudinem , quod tantisve pœnis , & suppliciis tam sapienter , tam justi castigatur . Ad hæc , peccatum maximè , & supraquam dici aut credi potest , nocet peccanti , tam in corpore , quam in anima . Recito hic damnorum omnium catalogum .

III. Nihil est in homine præclarum , aut nobile , quod non aut inficit , aut evertit . Corpus sæpe morbis fœdat & enervat . Animæ vires debilitat , facultates vitiat , actiones depravat : Mentis lumen vel perdit , vel infuscat . Rationem appetitui , hoc est , dominam honestissimam nequissimæ subjicit ancillæ . Inquinat voluntatem , & à bono alienam , acaversam reddit . Perturbationibus ferocissimis , quasi effrænibus belluis , habenas laxat ! sensibus intemperantissimis animæ satellitibus omnem licentiam indulget , & insaniendi libertatem . Hæc in peccante , quid

Januar.

Tessera.

65

Nocet (mirum dictu) cælo, terræ, inferis ipsis peccatum. Cælites gaudio, quod ex hominum salute perciperent, privat. Sanctorum patrocinia cassa, custodiæ Angelorum inutilem reddit, Ecclesiam contristat, quæ vota, preces, laboresque suos irritos fieri, perdique filiorum animas, vehementer dolet. Fideles vel inficit pernicie, vel offendit exemplo. Infideles ad fidei, Religionisque contemptum provocat, Animas purgatorii pœnis detentas, optatis fraudat auxiliis. Damnatorum quoque pœna, numero reproborum fit auctior. Omnis denique miseria, omne malum à peccato est. Imò tanta est enormitas peccati, ut non potuerit tolli, nisi sublatu è vivis Deo. Nec horreret Filius Dei iteratum crucis supplicium, si ad destruendum peccatum, id vel æquitas, vel amor postularet. Potuisset una sanguinis pretiosissimi gutta totam peccatorum abyssum mergere, si voluisset. Maluit morte crudelissima, totiusque sanguinis per acerbissimas pœnas, effusione, pacisci redemptionem; quo nobis exploratius, testatusque fieret odium, quo peccatum prosequitur. Quid nunc tibi videtur? Fatere nunc, si non sit in confessio illa hodiernæ tesserae veritas. *Nihil est in nos crudelius nobis.* Quare si times pœnam, fuge culpam. Nam

Culpa est pœna comes, feræ mater, & effera proles.

E

25. DIES